



Q.K. 184

A 200.6

Oct 1844.

16

III, 529.

Q. D. B. V

DISPUTATIO IURIDICA
DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS
PRAEFECTORVM
IN SAXONIA

QVAM

PRAE SIDE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI
EXPONET

D. XXIV APRILIS A. R. S. c15 10 CC LXVI
IN AVDITORIO MAIORI

AVCTOR ET RESPONDENS

GOTTLOB AVGUSTVS TROPPANEGER

BARBIENSIS SAXO

VITEMBERGAE
LITERIS TZSCHIDRICHIANIS



X L C 2

A D E 1 2 V L O F T E R I C S I G

S A

Z E H I O T S C H I C C E N C H

L U X O T O E R E A S S

A L L O Y A S T I

C

G E R M A N O S C H A T Z I H O . C

O I L E M M N O H

E N V I D E D I Z O C I T A S O C I E V I

T E P O T I

D I C C A D A M A N D I S A V I M A C

I D O I A M O H O T I G V A T I

C O C A L I O N I D A C D V A H O T I C O

S I X A T I

QVOD
V I R O
PLVRIMVM REVERENDO DOMINO
D O M I N O
M. IVLIO FERDINANDO
TROPPANEGER
SVPERINTENDENTI ET PASTORI PRIMARIO
DE ECCLESIA BARBIENSI
LONGE MERITISSIMO
P A T R I S V O O P T I M O
AC OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO
D I E N A T A L I S V O
QVI AD DOMESTICAM MEMORIAM EST GLORIOSVS
PIETATIS MONVMMENTVM PONIT

ET

HAS THEMIDIS PRIMITIAS

ET OBSERVANTIAE TESSERAS

SVB

VITAE LONGAEVE AC PERPETVÆ

FELICITATIS

APPRECIATIONE

DICAT ET CONSECRAT

FILIVS AVCTOR



INSTITVTI RATIO ATQVE CONNEXIO

Iuris domestici cognitionem, atque interpretationem, praecipue summo in honore habendam, nec, si vincula non modo iudiciorum, sed etiam utilitatis, vitaeque communis, conseruare vult ciuis, contempnendam esse, nemo facile negabit. Quare non censendus videor, quod primum studiorum meorum Academicorum specimen, ex legibus praecipue de promtum patriis, Patriae offerendum duxerim, nec ignorans OVIDII dictum : ^{a)}

Nescio qua, natale solum, dulcedine cunctos

Dicit, et immemores non finit esse sui.

Cum vero in sua, quam pro gradu Doctoris habuit ipse
PRAESES MEVS LONGE GRAVISSIMVS, disputatione ^{b)} Praefectorum iura et obligationes alio opportu-

VI DE IURIBVS ET OBLIGATIONIBVS

niori tempore continuare sancte promiserit, ad eius laudabile institutum perficiendum, hanc iuris materiam, quantum a me fieri potest, persecuturus, libenter ei praebeo occasionem.

a) L. I. de Pont.

b) De Praefectoris, earumque origine in Germania, Vitemb. 1765.

§. I

DE PRAEFECTORVM FORO ET DE
P E N D E N T I A

Praefectos Saxonicos Curiis Provincialibus, et Regimini aulico subiectos, et ob concurrentem iurisdictionem, et respectum instantiarum Schriftsassiis aequiparandos esse, tam leges ^{a)}, quam Vsus fori ^{b)} satis comprobant. Cum vero iis non sola iustitiae administratio, sed simul cura regalium reliquorum, reddituumque publicorum a Principe in causis dependent, et vt, quoties de horum iuribus disceptatur, totam ad hoc iudicium causam referant, ex eodem haec litem dirimant, causasque exequantur, et de expeditis Camerae iudicio iterum rationes reddant, certissimi est iuris ^{c)}. In omnibus hinc probe constitutis praefecturis Saxonice Regiminalia a Cameralibus actis seiuncta, singulaque repertorio instructa inuenies. Quin et Praefecti cum aliis iurisdictione patrimoniali gaudentibus, forum ecclesiasticum, militare aliaque priuilegiata agnoscere debeant, et saepe ad ea relationes suas dimittere, ab iisque resolucionem et decreta expectare, muletasque a Consistorio dictatas ab aliis exigere, et ipsi praestare obstringantur, nec minus specialia fora ex iure communi v. g. rei sitae, cum hic nul-

nullum personae priuilegium attenditur, nancisci possint, nullum est dubium. Nullo vero modo is, qui praefecturam administrandam suscipit priori domicilio renunciasse, nouumque in loco Praefecturae contraxisse ^{e)} videtur, si quidem sola domus possessio domicilium non facit, sed is demum larem transtulisse, atque mutasse censetur, qui alibi sedem rerum et fortunarum suarum fixit, ut perpetuo manere in illo loco velit, ^{f)} quod vero de Praefecto in Praefectura vix assequi coniectura licet, cum lapsu temporis, aut si quis meliorem offert conditionem, aut ex placito Principis ab officio discedere cogitur, et ita non tam habitandi, quam officium suum exequendi causa accessit. Ex quo quaestio decidi potest, vtrum praefectus statutis loci ligetur? quam merito negamus, quia ibi nec sortitur domicilium, nec forum. Hinc in successione mobilia bona non diuidenda veniunt secundum statuta praefecturae, sed secundum ius prouinciae commune, aut statuta illius, cui paret, ^{g)} quod vero secus, si de diuisione bonorum immobiliarum in praefectura sitorum, et ad eum iure proprio pertinentium agitur. Immobilia enim, vt pars territorii censentur, ita statutis eius iudicantur, nec respectum ad personae conditionem habent ^{h)}. Simili quoque ratione statuta praefectorum intuitu iuris detractus, eiusque quantitatis discedentem praefectum parum obligant, nec eius heredes, qui in eodem territorio, sed diuersa commorantur iurisdictione, si hereditatem mobiliarem ex praefectura secum portant, iuxta illius statuta sunt diiudicandi ⁱ⁾. Post resignationem et honestam dimissionem praefectos regulariter retinere et titulum et forum priuilegiatum, iureque Schriftassorum adhuc vti, haud obscure asserit WABST ^{k)}, hinc a Clericis ^{l)} et militibus ^{m)} argumentari non licet.

a) ORD. CVR. IVD. VITEMB. d. an. 1550. Tit. Wer vor das Hofgerichte inde geladen werden, et ORD. CVR. SVPR. LIPS. d. an. 1548. add. Ord. Prov. d. an. 1482. apud SCHILT. de Schriftass. c. I. De Praefectorum foro Brandenb. vid. MEV. Decis. 230. P. IV. et VRSINI Disputatio de rationariis praefect. c. II. n. 80.

b) CARR-

VIII. DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS

- b) CARPOV. process. Tit. II. art. II. n. 127. MENCK. process. Disp. III. §. 10.
c) Wabst histor. Nachr. v. Churfürsth. Sachs. Seet. II. c. 12. §. 3. et §. 7. n. 3.
d) Mandat d. 7. Jul. 1730. dass die Beamten alle Monate eine richtige Specification derer an sie ergangenen Befehle, Verordnungen, und Resolutionen, und deren darauf geschehenen Expeditionen, als welche a Dato insinuationis längstens binnen 4. Wochen geschehen müssen, 8. Tage nach Endigung des Monats zu dem Cammer-Gemach einsenden sollen; widrigfalls auf einen, oder den andern Fall in 30. Rhgsf. Strafe verfallen.
e) CARPOV. respons. 23. lib. II.
f) L. 7. C. de incolis, ZANGER. tract. de except. p. II. c. I. n. 12. seqq.
g) CARPOV. Jurisp. for. P. III. const. 12. def. 16. et 19.
h) WERNH. P. III. obs. 237.
i) MEV. Decis. 160. P. II.
k) Histor. Nachr. von Churf. S. Seet. II. c. I. §. 6. dissentit BERGER Elect. discpt. for. ad Tit. 40. p. 1320. et ad Tit. IV. obs. XI. n. 5. p. 110.
l) DECIS. REG. 35. add. PRAESIDIS Disputatio de Priviliegis clericorum in sponte resignantem vel remotum non cadentibus Vitemb. 1760. habita.
m) L. vlt. C. de Veteranis. WERNH. P. VII. obs. 53. MENCK. n. Tit. de Veteran. §. 2.

§. II

DE PRAEFCTORVM IVRISDICTIONE IN GENERE

Quemadmodum immediate, et iure superioritatis territorialis iudicat Serenissimus Elector Saxoniae in Regimine Aulico, Appellationum iudicio, Curiis Provincialibus, Consistoriis, ita et Praefectoriis ^{a)}). Cuilibet enim iustitiae et oeconomiae administratori, tanquam ministro Principis competit propria, siue, vt alii volunt, ordinaria iurisdictio, vi cuius, Procuratores dare, et substituere potest ^{b)}). Quam ob rem testamentum extra locum iudicij ex mandato Praefecti coram uno Scabino et Actuario conditum valet ^{c)}, nec minus oculares inspectiones et sectiones cadauerum mediante registratura Actuario demandari sufficit, si hisce interesse impeditur ^{d)}; et hos a Praefecto constitutos man-

-2-12-3

data-

datarios, BERGERO^{e)} procuratores, sicuti eos, qui a curatore rei oeconomiae Principis Amtsschreiber mandata accepterunt, actores appellare placet. Ordinaria iurisdictio et exinde apparet, quia singulos quosque praefectos peculari sigillo ipsis concessa in decretis et mandatis vti videamus^{f)}. In eo vero Romanorum Praefectorum iurisdictio conuenit cum germanica quaestorum, quod appellanda sit personalis, seu administratoria, nec ad heredes praefecti transitoria^{g)}. Valde hinc miror TITI opinione^{h)}, dum Praefectis tribuit patrimonialis iurisdictio nis exercitium. Vtrum vero, iurisdictione concessa, et criminalis intelligatur, et Quaestori in criminibus tam cognitio, quam executio competit ex libris censualibus Amts-Gerichts-Büchern, Amts-Erb-Registern, codicillis, quibus officium delatum Amtmanns - Bestallungen singulorumque locorum moribus est addiscendumⁱ⁾. Experientia saepius docuit, quod administrator Praefecture Vitembergensis executionem poenarum capitalium magistratui ciuitatis relinquere necessum habuerit. Sic et KLINGNER^{k)} varios adduxit pagos in Saxonia, vbi eorum praefectus in aliis locis alta gaudens iurisdictione permittere tenetur, vt alias quaestor causas criminales in his pertractet, et ad executionem perducat.

a) MENCK. Synops. Process. Disp. III. §. 10. CARPOV. Process. Tit. II. art. 2. n. 124. ROTHER. pract. for. parte generali c. IV. §. 7.

b) Arg. L. 5. C. de iudiciis.

c) DECIS. ELECT. 37.

d) VI GENERALIS d. 19. April. 1755. verbis: Dass, wenn bey vorfallenden Besichtigungen und Sectionibus todter Körper die Beamten der Section selbst bewohnen, behindert werden, sie jedermahl ihre Vices dem dagegen registrirrenden Actuario ausdrücklich auftragen, und, daß solches geschehen, eine Registratur ad Acta fertigen lassen sollen.

e) In elect. Disc for. Tit. 7. obs. 6. n. 6. p. 272. vbi simul annotat, hoc discrimen in principio sententiae maxime attendendum, et sic pronunciandum: Anvalden N. als Amtmanns zu N. Actorn N. als Amtsschreibers zu N.

X DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIEVS

f) CARPOV. process. Tit. II. art. II. n. 126.

g) BERGER Oec. Iur. L. IV. Tit. III. Thes. I. n. 9.

h) In Iure Privato Lib. VIII. c. 10. §. 24.

i) Wabst histov. Nachr. v. Churf. S. Sect. II. c. 12. §. 7.

k) Sammlungen zum Dorf, und Bauren-Rechte P. III. c. I. §. 8. vbi et disquisitionem, ynde id venerit, invenies.

§. III

DE IVRISDICTIONE CIVILI IN PRAEFECTVRARVM SVBDITOS IM
MEDIATOS

Vt actiones incolarum certae praefecturae immediate subiectarum, Amts Unterthanen, legibus conformes instituantur, iisque contrariae reformatur, praefecto praecipue curae cordique sit. A scopo nostro vero nimium aberaremus, si late officium Praefecti in diiudicandis causis ciuilibus, tam quae sunt voluntariae, quam contentiosae iurisdictionis, et criminalibus, aliisque subditos tangentibus, expонere vellemus, praesertim cum in plerisque iudices, patrimoniali gaudentes iurisdictione, a Praefectis nostris non alieni deprehendantur, et de officio iudicis in genere multa habeamus scripta ^{a)}. Nostrum esse iudico, quantum instituti ratio permittit, demonstrare, quid in iurisdictione administranda quaestori obseruare quasi proprium, et ad quae expedienda nominetenus sit vocatus. Licet vero hac in re campus se praebeat amplissimus, videbimus tamen, quid praediorum rusticorum eo videant praefecti, ne ea sine speciali Principis concessione ad ciuici ordinis possessorem transferantur, quia censuum, et operarum praestatio, et exactio fieri videtur difficilior, ^{b)} multo minus talia sub praefectura sita proprio ausu ipsi comparent, nec contractus emtio-

num



num, et venditionum prius confirment, quam residua tributa, atque census a praedio fuerint deducti ^{d)}). Quatenus vero iura Principi competentia, fructus iurisdictionis augere, iura amissa, et res ad principem spectantes diuinas, commoda intercepta recuperare, et restituere, praedia Principis ab oneribus, et incommodis iniuste impositis liberare, et contra subditos ideo agere queant, egregie explicat MANDATVM d. 19. Mart. 1731. Modum procedendi in controversiis ciuilibus quod attinet, praefectos, sicuti alios iudices secundum ORD. PROCESS. RECOGNITAM, atque MANDATA NOVISSIMA dirigere obstrictos esse, nemo dubabit. Probe igitur ponderent causas summario processu pertractandas ^{e)}, litem amicabiliter componere studeant ^{f)}, nec despiciant pauperum causas, dum in subsidium numeratam pecuniam in eorum causas erogandam e praefectorum redditibus, Amts-Intradem sumant ^{g)}; extraneos, extra viam Commissionis, ^{h)} non nisi per literas requisitoriales citent, nec intermittere debeat actus contentiosae iurisdictionis in loco iudici expedire ⁱ⁾. De ipsa causa vero vel decernere, vel sententiam a Dicasterio petere, in eorum arbitrio est positum ^{k)}. Sed BERGERI ^{l)} opinio, praefectum, si semel in causa decretum dederit, licet id a parte non sit impugnatum, tamen amplius iudicare non posse, dum lege scripta destituatur, nec certa fori consuetudine nitatur, nec ratio reddi possit, quare qui semel iudicauit, deinceps a decernendo in ea causa penitus abstinere, et quasi suspensus fieri debeat, non admittenda esse videtur ^{m)}. Contra sententiam a praefecto latam, aut eius gesta ad Curias prouinciales, aut Regimen aulicum appellari, et Inhibitiones contra eum, apostolis vel refutatoriis vel reuerentialibus a quaestore antea dimissis, impetrari posse ⁿ⁾, omnibus quoque est notum. Quod auocationes causarum, salua tamen iustitia, et quaesito partium iure, facilius in Praefecturis suscipi possint, quam in aliis iudiciis, patrimoniali iurisdictione

XII DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS

ne instructis; cum in gestis praefectorum corrigendis, et immutandis penes Principem multo liberius sit arbitrium, assent CARPZOV.^{o)} et MENCKEN^{p)}. Executionem in bona non modo nomine proprio, et ob ordinariam sibi competentem iurisdictionem peragit quaestor, sed et nomine Cancellariae Principis, Curiarum prouincialium, et Consistoriorum actus executoriales ei committuntur, quod, Consistoriorum intuitu, implorationem brachii secularis dicimus^{q)}. In exigendis vero reditibus, et prouentibus publicis abstineat a manu militari, potius subiectos per apparitores, et manum ministrorum praefectureae solitam ad eorum praestationes adigat, de mulctisque, licet Fiscalis non admonuerit, ex officio appelle^{r)}. Tandem ante O. P. R. admodum dubitabatur, vtrum in bonis feudalibus subhastationis proclama in praefecturis sit affigenda, cum plerumque sub appellatione ciuitatum praefecturas non contineri putarent veteres^{s)}, iure recentiori vero praefectura, sub qua iacet feudum Scriptissimum, et amtsissimum non excluditur, et edictum ad fores illius est affigendum^{t)}.

^{a)} ZIEGLER. Dicast. s. de officio iudicis.

^{b)} Leges Saxonicas in indice videbis ap. HEYM. Digest. I. Sax. sub voce Bauerguth.

^{c)} Mandarum d. 24. Dec. 1680. d. 3. Ian. 1681. C. A. T. II. p. 23.

^{d)} Mandat. d. 12. Sept. 1714. C. A. T. II. p. 65.

^{e)} Mandat. d. 13. Jul. 1691. C. A. T. II. p. 36. O. P. R. Tit. I. §. 6. et app. §. 2.

^{f)} O. P. V. Tit. I. Rec. Tit. I. §. 2.

^{g)} O. P. R. Tit. I. §. 12. quod si vero praefectus hos reditus non simul administrat, nouo et speciali rescripto Principis opus esse, eti fructus iurisdictionis sunt locati, conductores hos sumtus ex fructibus iurisdictionis tanquam incommodum ferre debere, existimat b. GRIEBNER. in Discursu ad O. P. R. loc. cit. sed paetis et moribus praesertim hic inhaerendum esse putamus.

^{h)} O. P. R. Tit. I. §. 9.

ⁱ⁾ O. P. R. Tit. II. §. 4.

^{k)} O. P. R. Tit. XXXIV. §. 1.

^{l)} In Oec. iuris Lib. IV. Tit. XXII. Th. I. n. 6. et in Elect. Dist. for. p. 897. seqq.

^{m)} WERNH.

PRAEFECTORVM IN SAXONIA XIII

- m) WERNH. *Compend. iuri.* lib. IV. Tit. XXIV. §. 6.
n) *Mandata* d. 2. et 28. Ian. 1579. C. A. Tit. I. p. 1293.
o) *In Process.* Tit. II. art. II. n. 130.
p) *Process.* Disp. III. §. 10. Interim O. P. R. Tit. I. §. 9. et hic bona discre-
tio adhibeatur.
q) b. KRAVSTII process. lib. I. c. VI. sect. IV. §. 2.
r) *Generale* d. 21. Nou. 1717. C. A. T. II. p. 65.
s) *Rescript.* d. 26. Nou. 1674. C. A. T. I. p. 1327.
t) BERGER. *Elect. Disç. for.* Tit. XL. obs. III. n. 2. p. 1261. MENCK. *process.*
Tit. XXXIX. §. 64.
u) O. P. R. Tit. 39. §. 13. verbis: Ingleichen in dem Amtshause des Amtes, dar-
innen das Ritterguth bezirket.

§. IIII

DE PRAEFECTORVM IURISDICTIONE
CRIMINALI

Quamuis praefecti eundem modum procedendi in cau-
sis criminalibus, quem alii iudices iurisdictione patri-
moniali inuestiti regulariter obseruent ^{a)}, varia tamen et
hic accuratius meditaturi in praefectorum iurisdictione de-
prehendimus singularia. Ante omnia consideratione di-
gnum nobis videtur priuilegium praefectoris ex ORD. PROV.
de ao. 1555. Tit. daß man die Uibelthäter, so in denen Aemtern
verbrechen und entwerden, wiederum in die Aemter folgen soll lassen ^{b)},
et RESOL. GRAV. de ao. 1661. Tit. von Justitien Sachen
§. 45. ^{c)} competens, vi cuius in praefectoris Elect. delin-
quentes, sed in ditionibus nobilium vel ciuitatum depre-
henfos, et poena corporali aut capitali afficiendos, quaestori
petenti, nullo casuum discriminé, siue iudices domicili aut
deprehensionis praeuenerint, siue minus, remittere inferio-
res iudices compelluntur ^{d)}. Contra is subditos suos, si ali-
bi deliquerint, alii magistratui sistere non obligatus est. Si-
cut

XIII DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIEBV

cut vero paēta et mores assertum posterius infringere pos-
sunt, sic et prius patitur suas exceptiones, praesertim si de-
linquentes foro gaudent priuilegiato, vt in militibus acci-
dit ^{e)}. Ceterum praedictos iudices non minus, ac alios se-
cundum RESOL. GRAV. de ao. 1661. Tit. v. Sust. Sach.
§. 44. magistratui, per cuius territorium transeundum est,
deductionem delinquentium denunciare, literasque reuer-
sales exhibere, si nolunt actionem iniuriarum vereri, obstri-
ctos esse, praeiudicio confirmat MENCKENIVS ^{f)}. Ma-
nifestissima vero differentia inter praefectum et alium iudi-
cem in transmissione actorum criminalium appareret. Quem-
admodum enim huic libera est facultas, quaevis Iure consul-
torum collegia et facultates Saxonicas adeundi ^{g)}, ab illis
que sententias petendi, sic ille, districtum Electoralem si ex-
cipit ^{h)}, acta inquisitionalia Scabinis Lipsiensibus ⁱ⁾ trans-
mittere, tenetur. Interim, si sententia iam in Scabinatu la-
ta, et postea defensio admissa, aēta ad aliud Dicasterium
transmittuntur ^{k)}. Nec minus plane singularis, in deci-
dendis delictorum leuiorum et iniuriarum causis Rügen Sa-
chen a praefectis est obseruandus modus et ordo, interdum
acta ad scabinatum Lips. aut Ordinarium Vitembergensem
singulis anni quadrantibus sunt transportanda, interdum
iphi quaestores decidunt. Vtique vero casu huiusmodi
decreta ad Camerae iudicium, vt confirmantur, sunt able-
ganda. Sed quia instituti ratio copiosorem hac de re non
admitit commentaryem, sufficiat adducere LL. Saxonicas
penitus non negligendas. Praecipue vero huc MAND.
dd. 18. April. 1618. dd. 25. August 1717. dd. 22. Decembr.
1730. Erl. Mandat wider die Selbst Rache. dd. 1. Jul. 1737. et
maxime dd. 28. Decemb. 1750. pertinent. Porro sententias
in causis criminalibus latas minime resignare, sed ad Sena-
tum Regiminis simul cum aētis transmittere obstringuntur ^{l)},
a quo deinde publicatae remittuntur, nec, si in sententia de-
fensio haud concessa, hac in re possunt esse liberales nostri
iustitiae administratores. Sic infortunia, casus extraordina-
rios

rios in praefectura obuenientes ^{m)}, nec non rapinas, aut si latrones carceribus effractis aufugerunt, aliosque casus tragicos ⁿ⁾, item infictas poenas capitales ^{o)} Regimini Aulico statim ^{p)} referre tenentur, sicuti quando inquisiti ad Curias Prouinciales prouocant, antequam inhibitiones emittuntur, a praefectis relatio de causa exigitur ^{q)}. Quoniam vero saepe in his infortuniis oculares inspectiones et sectiones sunt instituendae, optime prouisum, vt in qualibet praefectura iuratus Physicus constituatur ^{r)}. Quod reliquum est, quaeestores nec statuta iuri communi contraria, nec collegia noua, cum id regale sit, nec vlli magistratui liceat, confirmare queunt ^{s)}, nec vlo casu poenam fustigationis aut relegationis in pecuniarium, vt iudicibus patrimonialei iurisdictionem exercentibus permisum est, commutare possunt, potius causam, qua reus commutationem precibus efflagitat, ad Principem referre, ab eoque resolutionem et definitionem quantitatis expectare, necesse habent ^{t)}. De erogatione sumtuum criminalium subsidiaria, si subiecti nec ex pacto, nec praescriptione ad eorum refusionem sunt obligati ^{u)}, recens E D I C T V M dd. 28. Jul. 1730. extat, vi cuius ex fisco praefecturae feruntur, atque camerae rationibus inse-
runtur ^{v)}.

a) Mandat. dd. 5. Januar. 1579. C. A. Tom. I. p. 1047.

b) In C. A. T. I. p. 50.

c) In C. A. T. I. p. 226.

d) BERGERI Occ. Iur. L. IV. Tit. IV. Th. 2. n. 6. Elef. Crim. p. 338 LEYSERI Ius Georg. L. III. c. 3. §. 24. seqq. MENCK. π. tit. de Custodia et Exhib. rcor. §. 2. BARTH. Hodog. For. p. 973. TOB. BARTH. Dissens. in Prax. 696. add. WERNH. P. II. obl. 373.

e) Arg. General. dd. 28. Decemb. 1737. in App. apud MENCK. in π. p. 1117.

f) In Pandect. Tit. de Religiosis §. 10. add. ZIEGLERI Disp. de remissione delinquientium ad locum delicti. MYLLI Disp. de remissione facinorosorum eorumque transportatione per territorium alienum.

g) Dissentit CARPZ. Prax. Crim. P. III. qu. 116. n. 26. Sed vide Rescript. de an. 1638. in C. A. T. I. p. 1131. et 1134. iung. BEYER. Delin. Iur. Crim. art. IV. pos. 9.

h) Iung.

XVI DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS

- h) Iung. *Rescript.* de an. 1638. citatum verb. außer denen im Chur-Creyße ic.
i) Iung. *Mandat.* dd. 8. Jun. 1609. C. A. T. I. p. 1056. et laud. *Rescript.* iung.
Mandat. dd. 20. Junii 1738.
k) *Rescript.* dd. 9. Nouembris 1714. C. A. T. I. p. 1183. cui adde *Generale* dd.
22. Febr. 1755. verb. Dass über die Defensiones, welche in Criminal-Sachen,
sonderlich aber wider die Urteile, worinnen auf die Todes-Strafe gesprochen,
denen Delinquenten verstatitet werden, das rechtliche Erkenntniß in Zukunft
in einem andern Dicasterio unserer Lande, als in demjenigen, wo die letzte
Sentenz abgefasset, eingeholet werde, ic. iung. BEYER. *Del. Iur. Crim.* ad
art. 219. pos. 11.
l) Vide *Rescripta Cod. Aug.* Tom. I. p. 1132. et 1681.
m) *Mandat.* dd. 20. Febr. 1740.
n) *Mandat.* dd. 19. Januar. 1754.
o) *Mandat.* dd. 5. Nouembris 1754.
p) Hinc quaestores etiam in causis propriis et domesticis sine venia principis
ultra noctem sub poena 50. thal. non absint a praefectura. *Mandat.* dd. 5.
Jun. 1714. C. A. T. II. p. 65.
q) Vide dicta ad §. anteced.
r) *Generale* dd. 14. Jul. 1710. C. A. T. I. p. 1765.
s) BERGERI *Oecon. Iur. L. I. T. I. Th. 18. n. 2.* a LEYSER ad π. Sp. 559.
corol. 2.
t) BERGER. *Oecon. Iur. L. III. Tit. XV. Th. 17. n. 3.*
u) Quid iuris sit, si subditi ferunt, ratione collectionis et rationum redditio-
nis, vide ex *Mandat.* dd. 8. Febr. 1717. C. A. Tom. II. p. 71.
v) Hinc quaestores, nisi ex Rescripto Principis imperato, speciale inquisitio-
nem instituere nequeunt. Conf. Ill. GAERTNERI *Instir. Iur. Crim.* art. 203.
§. 10. p. 228.

§. V

DE IVRISDICTIONE PRAEFECTORVM IN AMTSASSIOS

Non modo ciuitates amtsassicas, sed et reliquos possessio-
res, sive sint nobiles ^{a)}, sive ignobiles, bonorum amt-
sassicorum, tam ratione personarum suarum, quam praedio-
rum et allodialium et feudalium, iurisdictioni praefecti sub-
iectos, in eoque modo a reliquis praefectorum subditis

Amts-

Amts.Unterthanen differre, vt plerumque iurisdictionem in suos rusticos exerceant ^{b)}, contra ab eorum decretis ad praefectum appelletur, vsus fori maxime comprobat ^{c)}. Licet vero quaestori in Vasallos amtsassicos iurisdictione tributatur immediata, ei tamen ipsum Dominii Directi exercitium tanquam referatum principis haud competit ^{d)}. Variis enim ideo ei denegantur iura, sic actus inuestiturarum, tutoris curatoris constitutiones, consensus declarationes in alienationem, vel oppignorationem feudi amtsassici, confirmationes dotalitiorum, aliorumque contractuum super Feuda celebratorum, decisiones controveneriarum inter dominum et vasallum, conuocationes ad seruitia, et si quid qualitate feudali mutatur, non nisi in Curia Principis feudali expediuntur ^{e)}. Caeo vero, ne cum his confundas feuda rustica Schulzen Richter Bauer Lehne, in his quaestor tam inuestituram, quam hypothecae et curatoris constitutionem aliaque valide expedit ^{f)}. Ceterum Amtssassis per praefectum mandata exponit Princeps, iubetque, vt ex iis possessoribus quidam ad comparendum in conuentibus provincialibus elegantur ^{g)}, sicuti eorum et possessorum bonorum Schriftassicorum obitus, eorumque successores, nec minus susceptae alienationes et permutationes feudales, ne damnum inde accipiat, ei, relatione facta, indicentur ^{h)}.

a) Qui olim Mannschaft vocati sunt. Conf. Wabst. Histor. Nachr. v. Sachf. Sect. II. c. XII. §. 6. Vnde vero venevit, vt hi nobiles in iurisdictione praefecti sint, licet quam plurimae adducantur conjecturae, tamen adhuc ut opinamur, sub indice lis manet. Interim vide opiniones apud SCHILTERVM de Amtssassis. WILH. LEYSERVVM de Landssassis, Schrift. et Amtssassis. TITIVM Iur. Prit. L. VIII. c. I. §. 9. BEYERVM Del. Iur. Germ. L. I. c. VII. pos. 5. seq. add. III. HOMMELII Akademische Neden ad MASCOVII Ius Feod. cap. III. §. 13.

b) In exercitio vero praefecti eos ne turbent. Iung. Erled. der Landes-Gebr. de an. 1653. 1657. §. 62. seqq. C. A. Tom. I. p. 231. Interim eorum iurisdictione plerumque valde est limitata. NAEVII Ius Instituitorum cap. III. §. 13. BEYER. I. c. §. 37.

c) BARTH. Hodog. For. p. 33.

XVII DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS

- d) BERG. Elect. Disc. For. Tit. XLVI. Obs. IV. n. 2. p. 1607.
e) CARPZ. Resp. 30. Lib. IV. HORN. Iurispr. Feud. cap. IV. §. vlt. et cap. XIX.
§. 8. Wabst l.c. Sect. II. c. I. §. 9. seqq.
f) BERG. Elect. Disc. For. c.l. HORN. c.l. WILDVOGELIUS Disp. de Feudo Scultetico.
g) Wabst l.c. §. 6.
h) Mandat. dd. 27. April. 1694. C. A. Tom. II. p. 38.

§. VI

DE PRAEFECTORVM IVRISDICTIO NE IN SCHRIFTSASSIOS

Mirum cuidam videri possit, nobilem schriftsassicum praefecti iurisdictioni subiicere, cum ambo uno eodemque iuxta §. I. fruantur foro. Sed salua res est, modo si species ponamus habiles. Quemadmodum possessores praediorum Schriftsassicorum, salua tamen libertate sua, certis praefecturis, sub quarum districtu iacent bona, annumerantur ^{a)}, illisque a quaestoribus Principis mandata more in loco solito insinuantur ^{b)}, sic nullum est dubium, quin horum iurisdictioni subsint intuitu bonorum amtsassicorum, quae praeter ea adhuc possident, ita, ut coram his actione reali, mixta et in rem scripta, et vti quoque vult HORN. ^{c)} personali allodiali, licet ibi domicilium non constituerint, conueniri possint. Valde vero is hallucinaretur, qui ex tributis, censibus praefectureae soluendis, ad subiectionem argumentari vellet, harum rerum praestatio, si alias bona sunt schriftsassica, possessores non priuabit foro ^{d)} priuilegiato. Tandem Schriftsassios omnes praefecto, si a Principe ad certa negotia, ut commissarius, constituitur, obsequi debere ^{e)}, res ipsa edocet. Interim commissoriale acceptum iudici competenti communicare, ceteraque in Ord. Process. Rec. Tit. I. §. 9. disposita ^{f)} accurate obseruare obstringitur.

^{a)} BEYER.


PRAEFECTORVM IN SAXONIA XVIII

- a) BEYER. Del. Ius Germ. L. I. cap. VII. pos. 56.
- b) Wabst l.c. Sect. II. cap. XI. §. 3.
- c) Iurispr. Feud. cap. XIII. §. 7.
- d) HORN. Resp. 33. Class. XVI. Wabst Sect. II. cap. XII. §. 6.
- e) BEYER. Del. Ius Germ. l.c. add. SCHILTER. de Schriftställis cap. V.
- f) Iung. Mandat. dd. 22. April. 1729. verb. Daß führöhin diejenigen, welchen in unsern Nahmen aus denen Collegiis einige Commission aufgetragen wird, der ordentlichen Gerichts-Obrigkeit das erhaltene Commisoriale, in so weit es derselben zu wissen nöthig, durch dessen Extract ein für allemahl, jedoch nur notificationsweise, und in Zeiten communiciren.

** **

Restat, vt de Praefectorum iurisdictione in viis publicis,
 atque in officiales rerum Forestalium, Vectigalium, alio-
 rumque a Camera dependentium, nec non de eorum pote-
 state in causis ecclesiasticis, reliquisque iuribus singularibus,
 atque officiorum generibus, quaestorum muneri connexis
 nunc copiosius differamus, sed cum commentatio vterior
 scopum meum longe excedit, id specimen nouum GRAVIS-
 SIMO PRAESIDI aliisque relinquo, et vt praesens
 L. B. aequi bonique consulant,
 enixe obtestor.






Fe. 1838 ft.

ULB Halle
007 432 860

3



m.c.



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q. D. B. V
ATIO IVRIDICA
DE

OBLIGATIONIBVS ECTORVM AXONIA

QVAM
AESIDE
ANO GOTTLIEB
MELIO

DITORVM EXAMINI
PONET

S. A. R. S. cI^o I^o CC LXVI
TORIO MAIORI

ET RESPONDENS

YSTVS TROPPANEGER
IENSIS SAXO

MBERGAE
SCHIDRICHIANIS

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

